



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 10. S. Romualdi obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Ingressus ad Imperatorem, diu de resti- Sæculum XI.
A.C. 1025.
tuendo jure Ecclesiarum, de violentia
Potentum, de oppressione pauperum dis-
seruit, & tandem pro suis Discipulis mo-
nasterium petiit. Cui postmodum Hen-
ricus Montis-Amiati monasterium tradi-
dit, ejecto inde quodam Abbate, multis
malis obnoxio. Istud Monasterium in *Ital. S. to. 3.*
Tuscia Territorii Clusiensis positum *p. 667.*
Rachis Rex Longobardorum circa an-
num 743. condiderat.

Inter Monasteria, ultimo vitæ suæ
tempore a S. Romualdo fundata, fuit *Mabill. ob*
Camaldulense, postea præ ceteris omni- *ser. ad vit.*
bus celebratum. Is locus, illa tempesta- *p. 278. Id.*
te *Campo Malduli* dictus, inter asperri- *iter Ital. p.*
mas Alpes Apenninas Diœcesis Aretinæ *180.*
situs, vallis est amœnissima, septem riga-
ta fontibus, quam Discipulis suis com-
modam delegit Romualdus, ibique Ec-
clesiam S. Salvatoris, & quinque Cellu-
las separatas, totidem Anachoretis desti-
natas, extruxit. His Petrum Venera-
bilem Præpositum dedit, Theodaldo Epi-
scopo Aretino, qui hanc Sedem anno
1023. obtinuit, consentiente.

§. X.

S. Romualdi obitus.

Sanctus Romualdus cum jam finem
suum imminere intelligeret, ad Mo- *vit. n. 100.*
nasterium suum in Valle de Castro re-
diit,

Sæculum XI. diit, jamque certus, se esse moriturum,
A.C. 1025. Cellam sibi cum Oratorio ædificari man-
 davit, in qua recluderetur, & silentium
 usque ad mortem servaret. Sane vigin-
 ti abhinc annis Discipulis suis prædixe-
 rat, se in hoc monasterio e vita decessu-
 rum, nemine, dum animam exhalaret,
 præfente. Cella constructa, sensit cor-
 poris languores ingravescere, præsertim
 phlegmatis abundantiam & pulmonis
 marcorem, quo jam mensibus sex labo-
 rabat. Nihilominus nec lecto decum-
 bere, nec solitum jejunium violare vo-
 luit. Quadam igitur die sole ad occa-
 sum vergente sentiens se viribus desti-
 tuti, duobus Fratribus qui adstabant præ-
 cepit, ut foras exirent, Cellulæ januam
 clauderent, & ad eum diluculo remea-
 rent, Hymnos matutinos, id est Laudes,
 celebraturi. Illi inviti discedunt, neu-
 tiquam vero cubitum properant, sed pro-
 pe Cellam latent. Tum attentius au-
 scultant, & neque ullum motum corpo-
 ris, neque sonum vocis audientes, suspi-
 cati, quod res erat, impulsæ janua velo-
 citer irruunt, illatoque lumine, supinum
 cadaver inveniunt, anima in Cœlum ra-
 pta. S. Romualdus vitam suam usque
 ad annum prope centesimum vigesimum
 produxit; namque annos viginti in Sæ-
 culo, tres in Monasterio, & nonaginta
 tres in eremo transegit. Hæc in ejus
 vita,

vita, quam post annos ab ipsius morte Sæculum XI.
 quindecim S. Petrus Damianus scripsit, A.C. 1025.
 legimus. Verumtamen errorem subre-
 plisse, sive id oscitantia Librariorum, vel Mabill. pag. 279. Boll. 7.
 alio modo evenerit, atque S. Romual-
 dum ultra annum vitæ nonagesimum su-
 perstitum esse non potuisse, plurimi cre-
 dunt. p. 103. Martyr. Ro. 19. Jun. & 7. Febr. Obiit vero anno Christi 1027. de-
 cima nona Junii, qua die Ecclesia ejus
 memoriam colit. Sed Romæ ipsius Fe-
 stum septima Februarii, secundæ Trans-
 lationis die, fixum. Proximo post obi-
 tum suum tempore S. Romualdus plu-
 rimis fulsit miraculis; unde elapso quin-
 quennio, Monachi a Sede Apostolica li-
 centiam construendi Altare supra corpus
 ejus obtinuerunt, quod illo ævo aliquis
 Sanctos canonizandi modus erat.

§. XI.

Guido Aretinus Musicus.

Sub idem tempus, Joanne XIX. S. Petri
 Cathedram & Theodaldo Sedem Are-
 tinam tenentibus, Guido, celeberrimus
 Musicus, illius civitatis Monachus, Musi-
 ces Elementa & sex illas Notas, *Ut. Re.*
Mi. Fa. Sol. La. invenit, quarum ope
 puer intra paucorum mensium spatium
 capit, quod antea vir complurium anno-
 rum labore vix addiscebatur. Has Sylla-
 bas Guido a tribus primis versibus
 Hymni in Festo S. Joannis: *Ut queant*
laxis